269

1561<sup></sup>

1561.ª 15 Julij

Ex Ms. Bielinsciano.

## Literæ regiæ ad D. Mr. Cromerum

Venerabilis devote nobis dilecte. Permolestum nobis est quod ex literis D. tuæ cognovimus mtem. ... passam esse deliquium animi, atque insuper etiam febri tentari, cuperemus enim illam, et bene valere et rerum omnium prosperitate perferri, id enim et ad nos, et ad publicam totius christianitatis utilitatem vehementer pertinere arbitramur et quod D. tuæ ubi oportunum esse videbitur Mtti suæ verbis nostris nunciabit. De compromisso perscripsimus D. tuæ per proximam postam sententiam nram de qua etiam D. tua quid sentiat, volumus illius literis doceri. Inducias unius anni esse pactas inter ... mtem et Serenissimum electum regem Hungariæ, ex literis D. tuæ cognovimus cuperemus autem ut interea, vel de pace vel de longioribus induciis, aliquid constituatur, presertim cum ad nos non obscuris authoribus perfertur, id quod etiam D. tua literis suis innuit, regem Turcarum, nescio quid in Hungaria moliri.

Scripseramus iam duobus fere mensibus Fogliolis, ut scripturas et munimenta quæ ad illos Bario sunt missa ad D. tuam Viennam mitterent, quorum literis nunc facti sumus certiores, missa esse ab illis decem octo scrinia, cum scripturis ad D. tuam, quæ cum illi erunt reddita, perlustrabit diligenter omnia, et si quid erit quod ad causam Barensem pertineat id apud se retinebit. Reliquas scripturas cum instrumentis musicis, et alijs rebus quæ una cum istis scriniis ad nos Venecijs mittuntur, primo quoque tempore Cracoviam ad Urbler Andream Czeclawski perferri curet. Quod si D. tuam cum mte ... aliquo Vienna discedere oporteat suppeditabitur a nobis sumptus pro vectura

scripturarum

scripturarum. Mandamus nunc denuo severe per literas nostras Kosslia, ut D. Lateriano et D. tuae stipendia debita persolvat idq. illum ultra aliquam moram facturum non dubitamus. Vilnae 15 Jul. 15

Chirurgum istum de quo D. tua ad nos scripsit, volumus ut per se, et per aliquas subornatas, atque ad rem idoneas personas observet, quid agat, et quid consilii captet, facile enim credimus illum, non temere istuc esse missum. Quicquid autem D. tua subolefecerit nos de eo certiores omnique ope providebit ne quid labis negotiis nostris aspergere possit. Quod si convinci possit ejus maleficii, quod nobis D. tua innuit, nihil nobis aptatius accidere possit, quam ut meritas poenas lueret ac ceteris proderet qui sunt ejusque criminis consci. Quod quidem nos D. tuae prudentiae committimus. etc.

18 Marca przyjdzie z Wenecii, oddał Papiery do sprawy potrzebne, oczyste równie iak Instrumenta i inne rzeczy odesłay do Krakowa do Andrz. Tarczałowskiego.